

5100ADTL040

Defense of Lonergan's Doctoral Dissertation

Gratia cooperans in QDdeVer

objective obscurity 555

non est in homine via eius

external providence

internal motion

relation to I-II

Gratia praeveniens

motio moventis, motus mobilis 556

Rom 9 instrumentality 557

Conversion

prior to I-II 558

in I-II 559

Rom 9 from instrumentality to will of end 559 560

Details re conversion 560

Parallel of actual and habitual grace 561

Definition of Gratia operans

praeveniens et subsequens – difference of time 561

operans et cooperans – causal difference 562

eadem gratia operans et cooperans 562 563

operatio effectus, operatio immanens 562

Diifference from Augustine 563 564

Actus interior et exterior

Cajetan I 564

Bannez 565

Zigon 565

Cajetan II 565-66

Ioan a STh 566-7

del Prado 567-68 cf 85

Usage 568

actus interior 569

actus exgterior 570 cf 555

Relation to Augustine 571: categories of controversy to metaphysics

page 2

Freedom

- liberum arbitrium 533
- non-coercion 533 534
- passive faculty 534
- 4 grounds of liberty 534
- essence of liberty 534
- Bannezian position 536

Act of will

- God causes act itself 537
- Avicenna: basis of intervention 537
- Augustine: basis & Cor regis 538
- immutat voluntatem 538
- Liber de bona fortuna
 - intellectualist 539
 - internal premotion of will 540-41

Contingence

- Problem 541-2
- Time 542
- Extrinsic denomination 542-43
- Absolute & hypothetical necessity 543
- Deus explicatio, non explicandus 543
 - in Sentences 543-44
 - in Ia IIIa 545
- Positive transcendence 545
 - variations 546
 - exclusively of God 547

Possibility of sin

- 3-lane vs Bannez 2-lane 547
- will, effect willed 548
- intellect 549
 - is it subducere se ab ordinatione divini intellectus
 - praeter et contra gubernationem 549
 - plan of God = law of God 550
 - sin as surd 550-51
 - surd as Arist per accidens 551

verification in non-parallelism: predestin et reprob 552

Conclusions 563

creatura rationalis gubernat se ipsam
 Deus gubernat supra hanc gubernationem
 temporaliter
 atemporaliter et necessitate hypothetica
 ita ut non sit causa peccati qua peccati

page 3

Reverendi Patres, Domini ornatissimi

Quae hodie dissertatio defendenda est S Thomae Aquinatis Doctrina de gratia operante iam ante tres annos Romae in P.U.G. est confecta absoluta atque approbata AT cum ipsa dies et hora defensionis indictae erant, nequitia bellica abreptus eram et patriam repetere coactus EX quo factum est ut postquam ipsa dissertatio sub forma contracta et abbreviata in ephemeridibus Theological Studies publici iuris facta est benevolentia R.P. Rectoris, bonis officis R.P. Provincialis, beneficio et privilegio collatis a Rev.mo P. Gen. Vic., Vice-Cancellario in Pont Univ Greg., hodie coram magistris aggregatis eiusdem Univ., viris utique dissertissimis, et vestra ornatissima corona dissertationis defensionem antea sustineam quam capillis et dentibus amissis imbecillitate senectutis conficiar.

Quae defensio bipartito dividitur ut primo ipse, quantum potuero, ex dissertatione excerptiam atque narrem, deinde examinatores, magistri aggregati P.U.G., viri utique dissertissimi, pro sua benevolentia pauca quaedam atque faciliora interrogent.

page 4

De Obiecto Dissertationis

Materiale obiectum: Quae ab Aquinate de gratia operante dicta sunt sive directe sive indirecte: puta quidquid Aq. dixerit quod pertineat ad elucidationem operationis gratiae in liberum hominis arbitrium.

Formale obiectum: haec dicta historice considerata, scilicet, prout constituunt stadium in evolutione speculationis theologicae.

Speculatio theologica: non *revelatio* quae est locutio Dei hominibus facta, neque *dogma*, quod est eadem revelatio prout ab ecclesia fidelibus docetur et definitur, sed *speculationis operatio* ingenio humano peracta, quo fit ut revelata magis magisque systematice concipiantur et synthetice exponantur.

Evolutio historica: quamvis neque per se neque per accidens evolvatur revelatio: est enim depositum fidei clausum post mortem ultimi apostoli, et tutela SpS infallibiliter in ecclesia servatum, quamvis per se dogma non evolvatur, nam est ipsius revelationis declaratio, attamen speculatio theologica per se evolvitur, uti constat ex natura mentis humanae quae est potentialis, et ex factis historicis.

Stadium: Et quidem inter haec facta historica, longe eminent quae ingenium Aquinatis peperit intenti illo labore quo doctrina Catholica, antehac magis Platonicè concepta, forma scientifica et Aristotelica est ordinata, explicata, proposita.

Quaestio: Qua de causa duplex ponitur quaestio:: I Quinam fuerit status quaestionis de gratia operante quando Aquinas conscribere incipiebat? II Quibusnam gressibus, sive in ipsa materia gratiae, sive in materia connexa providentiae et operationis divinae vel libertatis humanae, processit Aquinas ad eam doctrinam quam in Summa theologica invenimus.

page 5

De statu quaestionis quando Aquinas conscribere incipiebat

Circiter 25 annos antea theoria de gratia habituali supernaturali prima vice formaliter et explicite proposita fuerat.

Ex quo factum est ut usque ad Commentarium Divi Thomae in Sententias Lombardi inclusive, theologi intenti erant omnes prorsus proprietates gratiae stricte dictae per talem habitum supernaturalem explicare.

Qua de causa sola gratia habitualis in operantem et cooperantem dividebatur; gratia vero actualis non concipiebatur nisi modo valde vago et confuso.

1 Primo ergo Phillipus Cancellarius Univ Parisiensis posuit entitativam disproportionem inter naturam et gratiam, inter rationem et fidem, inter naturalem Dei amorem et caritatem, inter opera naturaliter bona et opera meritoria.

Ante hoc tempus maximae confusiones vigeant: et quidem

(a) impossibilis erat clara et systematica distinctio inter theologiam et philosophiam

unde Anselmus naturalia in mysteria, Abaelardus mysteria in naturalia reducebat

(b) unde philosophica notio liberi arbitrii haud determinari potuit sed quasi essentialiter cum gratia commiscebatur

Lombardus liberum arbitrium definivit tamquam facultas qua bonum eligitur gratia assistente et malum gratia desistente

Abaelardus e contra damnatus fuit ob propositionem 'liberum arbitrium per se sufficit ad aliquod bonum' DB 373.

2 At non solum deerat theorema speculativum de re supernaturali sed etiam ipse conceptus habitus non in generalem acceptionem pervenerat ante tempus fere Phil

Difficultas erat tum ignorantia theoriae habitus tum multo magis quod iustificatio in SScr dicitur fides quae per caritatem operatur.

Anselmus, qui maximum influxum per totum saeculum XII exercuit, opinabatur parvulos baptizatos non accipere gratiam sed solam peccatorum remissionem; quae opinio officialiter non fuit reiecta ante Conc Viennense (initio saec XIV) in quo minus probabilis et derelinquenda censetur.

page 6

De statu quaestionis quando incipiebat DT (2)

5 Ubi primum evolvebatur notio gratiae habitualis, non statim percipiebatur necessitas alterius gratiae actualis; vel ut accuratius loquar non statim evoluta est clara et distincta notio gratiae actualis.

In evolvenda notione gratiae habitualis maximas partes habuerunt Alexander Halensis, S. Bonaventura, S. Albertus Magnus.

Ut solum Albertum citem, ille praeter gratiam habitualem seu gratum facientem non agnovit nisi gratiam gratis datam.

Haec gratia gratis data apud Lombardum denotat iustificationem; at apud Albertum denotat fere omnia praeter iustificationem, e.g.

natura rationalis cum potentiis suis
 bonitas moralis naturalis
 dona praeternaturalia protoparentum
 habitus informes, timor servilis
 inspiratio, miracula, prophetiae
 assistentia angelorum
 character sacramentalis
 activitas divina quae omnia et conservat et movet in esse et ad bonum.

4 Qua de causa in Sententiis suis S Thomas de gratia operante tractans: (silet de gratia actuali)

(a) distinguit duplicem aspectum gratiae habitualis

a' ut causa formalis

b' ut causa efficiens

(b) sub utroque aspectu gratiam habitualement dividit in operantem et cooperantem
 a' ut causa formalis, operans facit hominem gratum Deo, cooperans facit opera meritoria

b' ut causa efficiens, mediantibus virtutibus infusis operans in quantum inclinat ad actum interiorem voluntatis, cooperans in quantum inclinat ad actum exteriorem.

At priusquam considerare possumus evolutionem gratiae actualis operantis et cooperantis, aliqua dicenda sunt de conceptibus providentiae, operationis, et libertatis.

page 7

Stadia principalia in evolutione mentis Aq. de providentia divina

Haec evolutio non est dogmatica sed speculativa.

Ideo oriebatur quia doctrinam Aristotelicam, quae providentiam divinam ignoravit, non simpliciter reiecit Aquinas sed leviter mutando in sensum Xtianum transformavit.

a Indeterminismus futurorum contingentium

b Indeterminismus effectuum terrestrium

c Inintelligibilitas peccati/ hoc tertium praetermittimus propter complexitatem notionis et brevitatem temporis

a Docuit Aristoteles futura contingentia non esse sive determinate vera sive determinate falsa.

Hoc principium accepit Aquinas; ita tamen ut negaret futura contingentia esse futura relate ad Deum; Deo enim qui extra tempus versatur omnia in actu suo sunt praesentia.

Ex hac positione deduxit Aquinas theorema de transcendentia divina: quidquid Deus scit, vult, facit, necessario est; non tamen necessitate absoluta sed necessitate hypothetica; cumque necessarium hypothetice possit esse absolute sive necessarium sive contingens, sequitur nihil esse sive contingens sive necessarium ideo praecise quia a Deo procedit, a Deo volitur, a Deo scitur.

Huius doctrinae elementa essentialia omnia existunt in Sententiis; at ipsum theorema clarius et plenius in operibus subsequentibus exponitur.

b Docuit praeterea Aristoteles indeterminismum rerum terrestrium: omnis sane effectus habet causam, at effectus per accidens habet causam per accidens; iterum posita causa sequitur effectus, modo alia causa non intervenerit et impederit; quae interventio et impeditio iterum per accidens est.

Atqui circa id quod est per accidens, nulla scientia; ubi nulla scientia, nullus determinismus; ergo res terrestres contingentem fiunt, nam in his rebus multipliciter adest 'per accidens.'

Hanc positionem ad sensum Christianum reduxit Aquinas in opere Contra Gentiles: nihil Deo est per accidens; nam ipse est causa universalis omnium, ideoque nihil impedire potest actionem causarum secundarum uti mente divina ordinarum.

Unde in Contra Gentiles affirmavit Aquinas certitudinem causalem divinae proficenditae: id quod in Deo Verbo negat.

page 8

Elementa principalia in theoria operationis

a circa agens in tempore sive naturale sive voluntarium semper et in omnibus operibus S Thomas requirit mutationem realem praeviam, seu praemotionem, ut explicetur cur agens tunc et non antea vel postea egerit.

Haec mutatio realis praevia seu praemotio eadem prorsus est ac in systemate Aristotelico, et in hoc consistit quod sive movens sive mobile mutationem praeviam patiatur.

Differt ergo haec praemotio Aristotelica a praemotione Banneziana, primo quia respicit agens in tempore et non agens qua creatum et limitatum, secundo quia praemovens potest esse causa per se vel causa per accidens et non tantummodo causa per se, tertio quia praemovens agit indifferenter in movens vel in mobile et non tantum in movens.

b Ideo Deus dicitur omnia movere quia est primus motor in systemate hierarchico et cosmico: secundum legem communem Deus directe agit in agentia suprema, et per haec suprema agentia in inferiora; haec lex communis adeo clare et explicite asseritur ut Aquinas dixerit, nullam prorsus futuram fuisse gubernationem divinam, si Deus non gubernaret mentes angelorum et hominum, nam mediantibus his caetera gubernat.

c Quia ipsum systema hierarchicum et cosmicum ab Aristotele ideo erectum fuit ut explicaretur complexus praemotionum terrestrium, scilicet ut explicaretur quemadmodum fieri posset ut agentia terrestria quandoque agant et quandoque non agant,

sequitur de necessitate quod Deus quia est primus motor, etiam est prima causa omnis praemotionis;

praeterea, postquam certitudinem causalem divinae providentiae Aquinas perspexerit, in unum conflantur haec certitudo causalis et causalitas primi motoris relate ad omnem praemotionem; quae synthesis nomen proprium sibi assumpsit, nempe, applicationem.

Qua de causa, in Q D de Potentia, articulo notissimo, postquam Aquinas asseruit hierarchiam cosmicam, statim addidit ex hac motorum hierarchia sequitur de necessitate Deum applicare omne agens ad actionem suam.

Elementa principalia in theoria operationis

c continued

Haec doctrina de universali applicatione non invenitur explicitè et formaliter sive in Sententiis sive in Q.D. de Ver. Invenitur in Contra Gentiles, de Potentia, parte Prima. Ratio erat evolutio circa certitudinem causalem divinae providentiae.

d Notio instrumentalitatis inde ab initio habetur at semper clarius et plenius exprimitur.

a' late omne movens motum est instrumentum

b' stricte instrumentum est movens motum quod producit effectum ultra proportionem propriam

c' proportio causarum hierarchice erigitur ita ut Deus solus sit causa proportionata ad producendum esse, ideoque esse est proprius effectus Dei, corpus vero caeleste est causa proportionata ad producendum ens naturale per generationem – unde quidquid operatur ad ens naturale generandum, operatur virtute corporis caelestis, et quidquid operatur ad esse producendum, operatur virtute Dei. Haec doctrina est synthesis elementorum Arist. de motu, Platoniorum de causis univer.

d' ut causa instrumentalis agat ultra proportionem suam debet accipere a causa principali aliquod esse incompletum, intentionale, spirituale, vim artis, virtutem artis, similitudinem per modum defluxus – quae omnia sunt diversa nomina pro eadem realitate –

e' ex multiplici convergentia et textuum parallelismo demonstrasse me credo hanc virtutem instrumentalem receptam in causis secundis ut operarentur virtute Dei ad producendum esse identificandum esse cum fato quod est participatio quaedam providentiae divinae in causis secundis recepta prout hae causae ordinantur a Deo ad effectus producendos;

f' hoc fatum quid sit accurate describitur in parte prima Summae Theologicae: non est substantia neque qualitas neque causa per se sed est in genere relationis, et quidem, si omnes causas secundas simul sumas, est complexus omnium relationum quibus hae causae inter se connectuntur et ordinantur ad praemotiones exserendas vel recipiendas.

e Denique adest in dissertatione tractatus de notione operationis, de immediatione virtutis, et de sensu illius dicti 'Deus operatur in omni operante' quod tamen, tempore premente, propter difficultatem et complexitatem omitti oportet.

page 10

Stadia principalia in evolutione notionis libertatis

a Uti iam dixi, antequam evolveretur theorema de supernaturalitate gratiae, speculatio de libertate humana haud fieri potuit.

E contra, quando primo ponebatur theorema de gratia habituali supernaturali, exsistebat tendentia duplex.

a' ut evolveretur ipsa analysis philosophica libertatis

b' ut modo exaggerato affirmaretur libertas hominis.

De utroque motu, aliquid est dicendum ut intelligi possit evolutio de gratia operante.

b Theoriam suam plene evolutam libertatis humanae non excogitavit neque proposuit Aquinas ante Q.D. de Malo, quae quaestio posterior est parte Prima Summae Theol., anterior vero parte prima secundae.

Priora fere stadia haec erant:

In Sententiis reicitur opinio duplex: opinio dicentium liberum arbitrium esse non potentiam sed habitum; et opinio magistri Alberti Magni dicentis liberum arbitrium esse potentiam quidem sed potentiam realiter distinctam ab intellectu et voluntate.

In Q.D. de Ver. magnus incipit labor de notione appetitus, voluntatis, libertatis; at positio Aquinatis usque ad partem Primam inclusive haec erat.

Secundum dictum Aristotelicum 'appetibile apprehensum movet appetitum' voluntas erat facultas passiva; numquam dicitur voluntas se movere etsi dicatur ex se moveri; unde primum movens voluntatis dicitur esse intellectus, et libertas de qua agitur est libertas non voluntatis praecisive sumptae sed hominis; unde fundamentum libertatis ponitur obiective in possibilitate perveniendi ad finem multiplici via, subiective in eo quod homo est rationalis, quod non solum

sylogismo scientifico sed etiam syllogismis dialecticis et rhetoricis de operabilibus cogitat.

Contra in Q.D. de Malo et in parte I-II omnia haec transformantur.

Distinguitur inter specificationem actus voluntatis (quae specificatio est ab intellectu) et exercitium actus; hoc exercitium actus ex eo est quod voluntas se movet, et nisi voluntas se movet non esset domina sui actus neque libera; attamen voluntas non est primus motor sui ipsius; se movet ad media, sed movetur instinctu divino ad finem.

page 11

Stadia principalia in evolutione notionis libertatis [2]

c Secundam tendentiam ortam post inventam theoriam supernaturalitatis esse dicebam exaggerationem libertatis humanae.

Qua de causa et S Albertus in suis Sententiis et S Thomas post magistrum suum in Sententiis propriis explicite et formaliter negant doctrinam de impotentia morali peccatoris, nempe, peccatorem non posse diu evitare omnia mortalia.

Arguunt, si peccator non potest non peccare, non est liber et ideo peccatum suum non esset peccatum.

Instant, verba Augustini quibus impotentia peccatoris probabatur, non agunt de peccatis futuris evitandis sed de peccatis praeteritis remittendis; sine gratia peccator non potest obtinere remissionem peccatorum; at sine gratia potest evitare etiam diu omnia peccata mortalia.

Ecce tamen in Q.D. de Ver. articulus longissimus in quo quinquaginta fere obiectiones ponuntur, in quo corpus per plures paginas sese extendit: agit articulus de impotentia morali peccatoris et corrigit sententiam prius assertam.

d Iam vero hic articulus maximi momenti est ad intelligentiam doctrinae Aquinatis de gratia operante; describit enim id in quod gratia operans operatur.

Notio fundamentalis est fixatio voluntatis sive per habitus sive per dispositiones ipsius voluntatis secundum principium ‘qualis quisque est, talis finis videtur ei.’

[Handwritten in margin: Haec doctrina de fixatione iam adest in Sententiis sed in Q.D. de Ver. plenius evolvitur neque perfecte exprimitur ante Q.D. de Malo – sed haec pratermitto.]

Proinde talis fixatio est duplex: absoluta et relativa.

Absoluta fixatio in bono invenitur in Deo, et modo minori in beatis; absoluta fixatio in malo invenitur in daemonibus.

Relativa fixatio invenitur in hominibus in via. Quae fixatio non est contra rationem libertatis, nam libertas per se et directe est circa media eligenda per consilium; et tantummodo indirecte est circa ipsos habitus et dispositiones voluntatis; praeterea haec indirecta potestas non pertinet ad hominem qua liberum sed qua in natura mutabili.

Effectus huius relativae fixationis est ut homo eligat secundum dispositionem vel habitum voluntatis suae nisi contraria dispositio intervenit, contrarius habitus infunditur, vel nova quaedam intellectus apprehensio voluntatem novo modo sollicitat.

Qua de causa cum homo non potest habere perpetuam vigilantiam sed naturaliter habitus sequitur, diu non potest omnia mortalia vitare.

page 12

Stadia principalia in evolutione relate ad gratiam habitualement ut operantem et cooperantem

In Sententiis distinguitur duplex aspectus gratiae habitualis, et secundum utrumque aspectum dividitur in operantem et cooperantem.

Gratia habitualis in primis est *causa formalis* quae in quantum informat ipsum hominem eumque gratum Deo reddit dicitur gratia operans, in quantum informat opera hominis eaque meritoria reddit dicitur gratia cooperans.

At gratia habitualis, mediantibus virtutibus infusis, etiam est causa efficiens, modificans fixationem relativam voluntatis liberae.

Ideoque in quantum inclinatur hominem ad bonum actum interiore voluntatis, dicitur gratia operans, et in quantum inclinatur hominem ad bonum actum exteriorem, dicitur gratia cooperans.

Inde a Contra Gentiles sed clare et explicitè in I-II ulterius evoluitur haec doctrina speciatim relate ad instans in quo homo iustificatur.

Nam secundum constantem Aquinatis doctrinam in ipsa instante iustificationis adulti triplex elementum est distinguendum: infusio gratiae, actus liberi fidei et contritionis, et remissio peccatorum.

Inde a Contra Gentiles haec tria concipiuntur secundum analogiam mutationis substantialis in physica Aristotelis: puta, si aliquod corpus grave fit leve, tunc primo habetur nova forma levitatis, deinde habetur motus sursum secundum formam, et tertio habetur perventio in finem, scilicet, in locum altum.

Pariter in instante iustificationis, ubi omnia simul tempore peraguntur, primo habetur motio moventis seu gratiae infusio, secundo habetur motus mobilis seu actus liberi arbitrii secundum novam formam seu fixationem voluntatis, tertio habetur perventio in finem seu remissio peccatorum.

Ex quo factum est ut in I-II ita dividitur eadem gratia habitualis in operantem et cooperantem ut:

In quantum gratia infusa est causa formalis quae hominem gratum Dei reddit, dicitur gratia operans,

In quantum vero gratia infusa est causa efficiens seu principium operationis liberi arbitrii, dicitur gratia cooperans.

Unde explicatur illud Augustini, Qui te creavit te sine te, non te iustificabit sine te: adest enim in ipso iustificatione instante actus liber, qui tamen est effectus ipsius gratiae infusae.

page 13

Stadia principalia in evolutione notionis gratiae actualis ut operantis et cooperantis

1 Propter confusam notionem gratiae actualis quae tunc tantum habebatur, tantummodo gratia habitualis dividitur in operantem et cooperantem in Sententiis.

2 At in Q.D. de Ver. alius progressus praeter iam notatum circa impotentiam moralem est factus.

Primo, gratia gratis data quae antea quodlibet fere denotabat, restringitur ad designandas gratias publicae utilitatis uti inspirationem, prophetiam, miracula.

Secundo, reicitur tantamen explicandi omnia vere et proprie gratuita tamquam effectus unius gratiae habitualis – quae reiectio fit auctoritate Augustini qui docuit post receptam gratiam praevenientem orandum esse ut gratia subsequens accipiatur; at nemo orat pro eo quod iam habet; ergo realiter distinguuntur gratia praeveniens et gratia subsequens.

Porro, gratia habitualis manet gratia praeveniens sed additur praeter habitualement gratiam alii effectus gratuita Dei voluntatis, quae divina auxilia nuncupantur, quae illustrantur per immissionem bonarum cogitationum et affectuum, quae etiam gratia cooperans nominatur.

Ergo in Q.D. de Ver. habemus gratiam actualem cooperantem.

At quid praecise sit haud dici potest: videtur esse transiens mutatio voluntatis realitativae fixae, nam Cor regis in manu Domini et quocumque voluerit vertet illud; attamen cum ipsa theoria voluntatis nondum plene evoluta erat, plenior hac declaratio fere impossibilis est; non enim est quaerenda maior claritas quam quae obiectivae habetur.

3 In opere Contra Gentiles gratia prima semper est gratia habitualis; Pelagiani refutantur circa initium fidei, quia initium fidei est infusio habitus supernaturalis.

Attamen hoc in opere, uti in fere contemporaneo commentario in Epistolam ad Romanos, invenitur maior emphasis circa instrumentalitatem voluntatis relate ad gratiam.

Argumentum erat: non possumus invertere ‘Non volentis neque currentis sed miserentis est Dei’ ut dicamus ‘non miserentis est Dei sed volentis et currentis.’ Ergo gratia non est tantum conditio sed potius causa principalis bonae operationis. Unde habetur doctrina iam explicata de motione moventis, motu mobilis.

page 14

4 In Ia Summae ulterius progreditur: datur interna praeparatio ad gratiam ante receptam gratiam habitualement: in hac prima conversione voluntas se habet ut instrumentum.

Proinde in Quodlibeto Io, opus posterius parte Prima, explicite requiritur gratia interna ante iustificationem. Positio contraria, quae tamen in Sententiis et in Q. D.

de Ver. admittebatur, nunc ut haeretica damnatur. Explicatio huius gratiae est ex eo quod ‘Cor regis in manu Dei, quocumque voluerit vertet illud.’

5 Ulterior progressus virtualis habetur in Q.D. de Malo ubi definitiva et completa theoria libertatis primo proponitur.

Nunc enim quemadmodum Deus gubernare possit supra gubernationem creaturae rationalis, sat clare patet.

Nam creatura gubernat se ipsam quatenus per consilium se movet ad eligenda media.

At Deus hanc gubernationem gubernat quatenus volitio finis in manu sua tenet, quatenus omnia adiuncta externa de quibus consiliatur, et ipsum consiliandi processum providentia infallibili regit.

6 In I-II haec varia in unum synthetice rediguntur.

Deus movet omnem voluntatem ad bonum universale, sed aliquas specialiter movet per gratiam ad finem determinatum.

Conversio in eo consistit quod Deus convertit homines ad se tamquam bonum et finem cui inhaerere cupiunt.

Unde q 111 a 2 gratia actualis non tantum gratia cooperans sed etiam operans nominatur.

Gratia operans est motus voluntatis quae movetur tantum et non movet; praesertim talis gratia invenitur in conversione.

Gratia cooperans est eadem gratia, cum tamen voluntas non solum movetur sed etiam movet.

Quae et brevi complector.

1 Creatura rationalis se ipsam gubernat in quantum consiliatur et se movet ad eligendum.

2 Supra hanc sui gubernationem, Deus ipsam gubernat nam voluntas est relative fixa et in manu Dei.

3 Porro in iis qui diriguntur in finem supernaturalem, Deus mutat hanc fixationem et infundendo habitus et transeuntia movendo.

Qui motus praevious facit voluntatem instrumentum.

At non propter talem motum sed propter transcendentiam divinam qui movetur a Deo ad aliquid volendum, hoc volet infallibiliter seu necessitate hypothetica.

page 15

De Fine Dissertationis

Finis dissertationis erat historicus, scilicet, cognoscere quid praecise docuerit Aquinas de gratia operante.

Ad quem finem clarius declarandum, praestat narrare ipsius dissertationis initia. Romam ergo remissus post tertium annum ut studiorum biennium aggrederer, Patrem Carolum Boyer ducem selegi et directorem frequentavi. Et postquam alia themata dissertationis consideravimus et abnuimus [?], tandem ille, manum extendens et summae theologiae partem primae secundum aperiens, En, inquit, articulus de gratia operante, quem equidem quemadmodum interpretari oporteat nescio; de quo auctores et commentatores consului frustra; quem neque ad partes Molinistarum neque ad partes Bannezianorum trahi posse credo. Sumas si velis hunc articulum. Loca parallela fontesque historicos investiges. Quantum poteris lucis afferas.

Ecce ergo non solum initium sed etiam finis dissertationis: conscribere commentarium historicum in ea quae docuit Aquinas de gratia operante.

page 16

De non-Fine Dissertationis

Ex fine facillime deducere potestis quia ad dissertationem eiusve defensionem vel pertineat vel non pertineat.

Primo, non de omni re scibili et quibusdam aliis.

Non de tota materia gratiae sed de gratia operante, de gratia quatenus operatur in liberum hominis arbitrium.

Non de gratia operante in S. Scr., in PP, in TT., in universa traditione, sed de gratia operante in operibus genuinis S. Thomae.

Non de opinione S. Thomae sub aspectu dogmatico, scilicet quid liceat vel non liceat dogmatio concludere ex opinione S Thomae, sed de quaestione priori et

historica, quid de facto dixerit et quid dicendo intellexerit S. Thomas loquens de gratia operante.

Denique non de hac quaestione historica prout determinaretur pro quodam credulitatis affectu, vel auctoritate, vel consensu alicuius traditionis, vel illuminatione et munere supernaturali, sed de quaestione historica prout methodo scientificae historica determinatur.

Unde quidquid sibi iure vindicat methodus scientificae historicae, ad dissertationem et defensionem pertinet; quidquid alienum est a methodo scientificae historicae, etiam a dissertatione et defensione alienum est reputandum.

Quod si impugnatur

Invoca: Sacra Cong de Seminariis et Studiorum Universitati
AAS 23 (1931) 208
Normae generales, art 18, § 2

Urge: Uti tristi et diuturna experientia constat, ex confusione generum et methodorum commixtione nihil augetur neque proficitur nisi acerbitas disputationum infructuosarum.

page 17

Nota Nota seu qualitas thesios, uti in omni re historica, est ‘probabilis donec contraria historice stabiliatur.’

Quoad substantialia tamen, ubi multiplex convergentia rerum in se disparatarum certitudinem gignere potest, thesin ut fere certam defendimus.

Quod si opugnatur

Historia non est scientia deductiva sed inductiva: procedit non a generalibus ad particularia, sed a particularibus signis et monumentis externis ad eorum nexum inter se et intelligibilitatem.

Unde nisi adest multiplex convergentia, quae possibilitatem contradictorii excludat, historia plus probabilitate attingere non potest.

page 18

De sensu thesios

De una difficultate tantum tractare volo, nempe, de iis quae dicuntur implicite vel virtualiter adesse in aliquo opere vel loco ubi explicite et formaliter desint.

Hac in re adest maximum periculum subiectivismi anachronistici: sicut enim protestantes sua inventa in ecclesia primaeva, sicut iansenistae opiniones proprias apud Augustinum invenerunt, sicut per tria iam saecula Molinistae et Banneziani contradictoria sua systemata apud unum eundem Aquinatem facillime et fere ubique adesse demonstrant, ita in omni re historica semper adest periculum eius fallaciae quae anachronisticum subiectivismum nominavi.

Unde maxime contra talem fallaciam methodus scientifice historica cavet atque monet. Qua de causa

(a) in primis et summopere attenditur ad ea quae explicite et formaliter dicta sunt;

(b) in genere, nisi contrarium suadetur, quod prius explicite et formaliter est dictum, ad tempore posterius dictum extendi potest et debet – qua de causa maxime attenda est chronologia operum;

(c) principia generalia per deductionem ad particularia extendi possunt, nisi contrarium suadetur, modo principia generalia re vera sint enuntiata explicite et formaliter ab auctore qui examinatur;

(d) alia ex parte, et haec est fallacia communissima, non potest demonstrare aliquid adesse implicite et virtualiter quia adest alibi implicite et virtualiter – e.g. Molinistae inveniunt scientiam mediam implicite et virtualiter in hoc vel illo loco, et volunt ad omnia loca eam extendere tamquam implicite vel virtualiter praesentem; et similiter Banneziani inveniunt suam praedeterminationem physicam implicite et virtualiter in hoc vel illo loco, et volunt asserere eam esse ubique implicite et virtualiter praesentem;

(e) non potest dici quod id quod tempore posteriori adest explicite et formaliter, etiam tempore priori adest implicite et virtualiter – nam intellectus humanus est potentialis et per actus incompletos ad actum perfectum pedetentim procedit.

Contra, quae dicta sunt pertinent ad leges interpretationis alicuius mentis: latius patet dogmatice implicitum quam speculative implicitum; e.g., distinctio inter validitatem et liceitatem sacramenti ab haeretico collati erat dogmatice implicita sed non speculative implicita in primaeva ecclesia.

De methodis diversis

Respondeo primo notandum quod sunt multae et diversae methodi interpretandi S Thomam quarum aliae alio tempore magis placent.

(a) datur in primis methodus supernaturalis quae bifariam dividi potest:

a' sunt qui ipsi sunt inspirati ut absconditam et profundissimam Aquinatis mentem clare, immediate et quasi facie ad faciem intueantur;

b' sunt alii qui certo sciunt alium quempiam ut Capreolum vel Caietanum vel Ferrariensem vel Suarezium vel Ioannem a S Thoma talem intuitionem specialissimam habere;

in hac methodo sane superfluum est inspicere textum Aquinatis; sufficere consulere vel propriam vel alienam divinitus inspiratam intuitionem;

at difficultas huius methodi est quod non omnibus certo constat de tali inspiratione; unde saltem illi alii nisi pio quodam credulitatis affectu moventur aliam methodum quaerere necesse est.

(b) datur deinde methodus traditionalismi secundum quam tamquam per principium primum per se evidens tota traditio vel aliqua pars traditionis necessario coincidit cum mente S. Thomae;

iterum secundum hanc methodum superfluum est consulere S. Thomam; multo enim facilius est legere librum quendam manualement ubi modo contracto et abbreviato omnia clare exponuntur;

difficultas in hac methodo est quo propius examinatur dicta traditio, eo magis inconstans et variabilis invenitur; praeterea, ipsum primum principium sat dubium multis videtur.

(c) datur tertio methodus scientifice historica quae magis magisque nostris diebus favorem accipit, ad quam evolvendam et perficiendam multis magnisque operibus iam laboratum est; cui sane methodo non parva neque spernenda advenit laus etque commendatio in Constitutione Apostolica Deus Scientiarum Dominus.

Qua de causa hanc methodum in dissertatione amplexus sum, non tamquam principium defendendum sed tamquam instrumentum utendum; quod si inter conclusiones huius methodi et conclusiones alterius invenietur discrepantia, novum problema exsurget; quod problema sine dubio alius quidam in sua dissertatione tractabit atque resolviet – nam ad meam dissertationem non pertinet.

page 20

Contra totam traditionem

Traditio proprie dicta: eo sensu quo dicitur traditio in Conc Trid ubi docemur depositum fidei inveniri non solum in libris scriptis sed etiam in oralibus traditionibus NEGOTIO

Traditio improprie dicta: CONSENSUS THEOLOGORUM

circa id quod est materialiter materia fidei: Transeat

circa id quod est formaliter materia fidei: NEGOTIO

nam quid senserit Aquinas hoc vel illo tempore suae vitae non est materia fidei, etsi materia sententiae sit materia fidei

Atqui omnes simul theologi per longum tempus errare non possunt

ubi agitur de materia fidei, Concedo

ubi agitur de facto historico,

si factum sit factum dogmaticum, Concedo vel transeat

si factum non sit factum dogmaticum, subdistinguo

proprie errant NEGOTIO

improprie, scilicet, nesciunt CONCEDO

Praeterea, quoad *errare*

error est defectus scientiae debitae

sed antequam inventa fuerit methodus scientifice historica, haud dici potest conclusiones talis methodi pertinere ad scientiam debitam.

page 21

Tota traditio

de actu voluntatis

Agostino Trape, Il concorso divino nel pensiero de Egidio Romano

Santo Santoro, Valenzianismo o Delfinismo

Hentrich, Gregor von Valencia und der Molinismus

de San, De Deo Uno

praesentialiter ontologice

Stegmüller, ? Zum Schicksal des Augustinismus in der Salmantizenschule

Shannon, Thomas of Strasbourg

de concursu

Landgraf
 Stufler, Joannes von Neapol, Ioan Pet Olivi, Durandus
 Pelster, Thomas von Sutton

page 22

Utilitas dissertationis

Intrinseca

generalis: valor scientiae historicae quem agnoscere debemus nisi Sanctae Sedis praecepta atque consilia praetermittere videamur;

specialis: valor scientiae historicae in re nobilissima;

si enim tot tantisque laboribus enitantur rerum antiquarum periti ut veritas historica in rebus profanis cognoscatur

quanto magis nos simili labori incumbere oportet ut mens Doctoris Communis non subiectivis fictionibus, neque partium studio, sed methodo scientifica exponatur.

[handwritten: maximus fructus si omnes partes interimerentur]

Extrinseca

specialis: qui tali labori per duos integros annos incumbit, thesaurum acquirit pro munere docendi: in nulla enim quaestione theologica, non quaeritur sententia Aquinatis; at qui historice mentem et opera Aquinatis investigaverit, iam didicit quemadmodum eum legere oportet, perspecta habet operum Chronologiam, notionum exactas definitiones, rerum inter se connectionem non synthesi quadam subiectiva sed obiectivo nexu historico elucidatam.

generalis: at ex ipsa investigatione conclusiones circa ipsam doctrinam vel gratiae vel providentiae vel operationis vel libertatis hauriri posse videntur

et tales conclusiones ex hac dissertatione multas esse credo.

attamen hac in re caute omnino procedendum est;

tota enim historia interdependentiam maximam exhibet: unde antequam sententia alias recepta reiciatur, investigandum esse credo cur et quemadmodum talis sententia orta sit. [handwritten: reprobatio neque positiva neque negativa sed 3m]

si origo nihil est aliud quam confusa et falsa interpretatio Aquinatis, talis error faciliter reici potest et debet – [handwritten: Molinistae citantes Sent. in suum favorem] – ita de libertate; similiter de transcendentia divina; similiter de notione actionis invecetae a Ioanne a S Thoma;

si autem origo diversae opinionis sit sive in factis dogmaticis sive in factis scientificis, caute investigandum;

de habitu: Conc Araus II, scientia psychologica de habitibus
praeterea evitandus anachronismus: Protestantes Iansenistae Lavaud
 (doctrina vitaliter se adaptans)

page 23

De Utilitate speciali ratione auctoritatis S. Thomae

Lavaud: Thomismus historicus exegeticus
 Thomismus vitaliter sese adaptans novis quaestionibus
 BL Non caece ad antiqua redeunda ne recentius acquisita
 perdantur: Protestantes, Iansenistae non solum
 haeretici sed etiam anachronistici

Gratia non tantum categoria metaphysica supernaturalitatis sed etiam categoria
 psychologica: efficacitas volendi;
 unde unitas circa impotentiam et physicam et moralem,
 unde unitas virtutum, donorum, auxiliorum int et ext.

Simultanea evolutio mentis SThomae
 circa gratiam, voluntatem, libertatem, providentiam, operationem
 ubi omnes partes vitaliter correspondeant et mutuo adaptantur.

Error Molinistarum qui suam sententiam tuentes citant Comm in Sententias
 Lombardi, ubi valde imperfecta theoria negatur impotentia moralis, praeparatio ad
 iustificationem per gratias externas, gratia actualis fere deest, libertas exaggetatur.

In quaestionibus particularibus
actio: inde a Caietano disputatur
praemotio physica: per tria saecula disputatur quin locus clarus et explicitus
 quantum scio citetur
applicatio: coniunctio systematis cosmici Aristotelici cum notione Christiana
 providentiae et metaphysica operationis
 MOMENTUM ad theoriam historiae
virtus instrumentalis: non ex subiectivis principiis ad ea quae necessario Thomas
 voluit dicere; sed per loca parallela et multiplici convergentia ad ea quae dixit
cooperatio: STh citat Liber de Causis
 quemadmodum influxerit, demonstro
immediatio virtutis: ex Alberto, Alfarabi, Aristotele
 LIBERTAS: theoria Banneziana 536; ignorantia historiae

NOTIO VOLUNTATIS: ubi obiective claritas expectari possit et ubi non *contingentia futurorum*: logice notiones exposui, non simpliciter affirmare; unde videatur S Thomas non solvisse problemata quae de facto solvit

Possibilitas peccati: indicationes systematis quae tenet mediam viam inter Bannezianismum et Molinismum; unde forte maximum beneficium si de medio tolleretur haec controversia (a) ut scandalum removeatur de valore intellectus, (b) ut Catholici problematis nostri temporis liberius intendant.

page 24

De Utilitate in re historica

Systematice applicatur methodus scientifica

(a) de Guibert: les Doublet de S. Thomas d'Aquin

(b) Lottin: motus historicus per medium aevum totus examinatur; in hoc motu generali locus S. Thomae in genere et in singulis operibus determinatur;

(c) uti patet, non proceditur ex aliqua synthesis non historice formata, sed ex obiectiva synthesis motus historici;

secus fataliter Molinista doctrinam molinisticam, Bannezianus doctrinam Bannezianam invenit apud unum eundemque S Thomam;

(d) qua de causa attenditur

a' *ad explicite et formaliter dicta circa quaestiones explicite et formaliter propositas* [handwritten: quidquid nostris diebus non dicendum; e.g. quamvis non admittimus influxum corp cael tamen admittit Aquinas et ad eius mentem penetrandam necesse est etiam hoc considerare, ideoque non negligendum] secus quaestiones quae a S Thoma vel nullo modo vel alio modo consideratae sunt ei proponuntur et responsa eruuntur ex responsis S Thomae ad quaestiones quas ipsi nos non consideravimus;

b' *talis explicite et formaliter proposita doctrina* potest extendi ad ea quae tempore posteriori dicuntur, non autem ad ea quae tempore anteriori dicta sunt; in utroque casu nisi contrarium suadetur solide et clare;

c' at merae illusiones gignuntur si principia fundamentalia nullibi explicite et formaliter proposita eriguntur in regulas totius interpretationis.

Circa periodum praeparatoriam in unitatem redegi

(a) Lottin de libertate

(b) Landgraf, Schupp, Doms de gratia

et hanc unitatem in unum motum historicum ab Augustino usque ad Summae theologiae tertiam partem ordinavi.

Ex quo indicatur parvo exemplo responsum systematicum Catholicorum ad dictas historias dogmatum Aatholicorum: id enim quod re vera evoluitur historice non est dogma sed speculatio; debemus componere manualia de historia speculationis theologicae et non imitari acatholicos qui componunt de historia dogmatum – per accidens dogma, per se speculatio evoluitur.

Intima ratio perspicitur motus mentis D. Thomae circa theorias cosmicas: influxus Platonico-Arabicus per Librum de Causis; influxus Aristotelicus; transmutatio Christiana huius syncretismi.

page 25

Cur non de motu

a Stufler, Gott der Beweger aller Dinge, Innsbruck 1936

b Quaestio quae est partim philosophica et partim pertinet ad historiam scientiae: sicut obiectum metaphysicae Aristotelicae est ens, ita obiectum physicae est ens mobile

c Systema cosmicum erroneum qui ad conclusiones falsas sed diversas ducit

d Propter ignorantiam historiae auctores voluerunt plenam doctrinam de gratia actuali ubique invenire apud S. Thomam. [handwritten in margin: interinsece]

Cum talis doctrina ubique non est, sed pedetentim evoluitur neque complete exprimitur ante partem I-II, secutae sunt fictiones.

Unde commentatores, speciatim recentiores, theoriam gratiae actualis fundant in De Pot 3, q 7, ad 7m.

Sed ibi nullo modo adest materia ex qua doctrina de gratia actuali evolvebat Aquinas – habetur ibi doctrina providentiae externae, sed non doctrina gratiae quae alio fonte provenit:

a' Ex adaptatione Avicennae

b' Ex Augustino: Deus potest mutare voluntatem quocumque voluerit. Deus sine nobis operatur ut velimus; et cum volumus cooperatur ut perficiamus.

c' Ex correctione Aristotelis: appetibile apprehensum movet appetitum.

Et ex adaptatione Eudemi: circa initium consiliandi.

page 26

Utrum sentire sit pati (item intelligere)

2 de Anim lect 10

‘sentire est quoddam agere vel esse secundum actum’

‘ita dicimus sentire in actu, ac si dicamus quod *pati* et *moveri* sint quoddam agere, id est quoddam esse in actu. Nam motus est quidam actus sed imperfectus, ut dicitur in 3 Phys.’

2 de Anim Lect 10

‘ita et pati [dicitur] non uno modo sed multipliciter. Dicitur enim pati uno modo secundum quandam corruptionem quae fit a contrario. *Passio enim proprie dicta* videtur importare quoddam decrementum patientis, inquantum vincitur ab agente: detrimentum autem patienti accidit secundum quod aliquid a patiente abicitur. Quae quidem abiectio, corruptio quaedam est ... *Primo igitur modo proprie dicitur passio secundum quod quaedam corruptio fit a contrario*. Alio modo passio communiter dicitur et minus proprie, secundum scilicet quod importat quandam receptionem ... hoc modo dicitur passio non secundum quod fit quaedam corruptio patientis, sed magis secundum quod fit quaedam salus et perfectio eius quod est in potentia ab eo quod est in actu.’

3 de Anim lect 7

‘sentire, supra in secundo dictum est, non proprie pati est. Patitur enim proprie aliquid a contrario ... partem intellectivam oportet esse impassibilem, passione proprie accepta.’

Quodl VIII a 3

Sensus se habet ad actum sentiendi sicut grave ad motum sursum; nullo modo cooperatur sive agit.

1a 85 2 ad em: *perficitur* operatio sensus per hoc quod immutatur a sensibili.

In I Sent, d 40 q 1, a 1, ad 1m vel 2m. In editione Parm adest longus locus qui deest in omnibus codicibus vetustis secundum Mandonnet, I Sent, ed Paris 1929 in hunc locum.